

Quod si venatio clamorosa non sit frequens, nec aliunde cum scandalo, vel magnis impensis fiat, non videtur jure communi vetita sub gravi, juxta S. Liguori, lib. III, n° 606.

II. Dubium est an prædicta jura intelligi debeant, non quidem de venatione quæ fit laqueis et retibus, quam nemo vetitam supponit, verum de venatione quæ fit armis, cum uno vel duobus canibus. Venatio, qualis fit apud nos communiter, estne clamorosa vel quieta ad sensum canonum? (Cf. S. Liguori, loco citato, n° 606, et Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XI, c. x, n° 8.) Existimamus illam venationem esse vetitam canonibus sub duplici respectu: 1° ex decretis conciliorum quæ generatim interdiciunt clericis gestatione armorum; 2° ex canonibus quos continet titulus juris XXIV DE CLERICO VENATORE, lib. V Decret.

Re quidem vera, multi canones modo absoluto vetant ne clerici arma gestent: v. g., cap. *Clerici*, 2, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM; *Diœcesanis*, 1, ejusdem tituli in Clementinis; *In audientia*, 25, DE SENT. EXCOMM. Idem statuunt per plura statuta diœcesana. Porro, hæc decreta usum armorum, sine ulla restrictione, prohibent, uno tantummodo casu excepto, si nimirum clericus peregrinatur vel periculo exponitur. Quoad canones qui venationem vetant, observare est venationem quæ olim fiebat cum accipitribus aut falconibus eandem esse ac hodie, mutata tantummodo specie armorum. Tandem canones non interdiciunt solum venatione clamorosa qua apros, cervos, aliasve feras insectabantur venatores, sed generatim venationibus cum canibus.

Opinionem nostram confirmat auctoritas Bened. XIV, qui licet fateatur sententiam contrariam communiorem esse et magis inter doctores receptam, arbitratur tamen juri conformius esse ut venatio de qua agitur dicatur prohibita; « siquidem « allati canones a venatione clericos arcent, quæ non armis « sed solis avibus venatoriis, ac propterea sine ullo tumultu « et strepitu exercetur, ut illos legenti manifestum est. » Adjectis postea pluribus statutis et auctoritatibus, concludit

« non posse nimis severitatis nota aspergi synodalem constitutionem ablegantem clericos, præcipue majorum ordinum, « aut ecclesiasticum possidentes beneficium, a venationis exercitio. » N° 10, cap. x, lib. XI.

546. — II° *Quid vetitum sit clericis quoad tabernarum ingressum et choreas?*

I. Circa tabernarum ingressum, habetur decretum concilii Carthag. III quod in jus commune transit: « Clerici, edendi « aut bibendi causa, tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. » Cap. IV, dist. XLIV. Ita cap. *Clerici*, 15, DE VITA ET HONEST. CLERIC.

Notandum est 1° non interdicti ingressum tabernarum, nisi fiat edendi aut bibendi causa; 2° non interdicti in casu itineris; ut quis vero peregrinans censeatur, necesse est ut aliqua distantia sit a suo domicilio semotus, quod, juxta plura statuta, de distantia duarum leucarum intelligitur. 3° Communiter interdictio fit sub pœna suspensionis; quod denotat legem sub gravi obligare.

II. Circa assistentiam choreis et spectaculis, conc. Laodicense statuit: « Non oportet ministros altaris vel quoslibet « clericos spectaculis, quæ vel in nuptiis aut scenis exhibentur, « interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos « de convivio et abire. » Cap. *Non oportet*, 37, dist. v, *de Consecratione*. Caput *Clerici* mox citatum idem vetat. « Clerici... « mimis, jocularibus et histrionibus non intendant. » Statutum Ecclesiæ Parisiensis has leges commemorat, pœnisque canonicis sancit: « Nous défendons sous peine de suspense à tous « les ecclésiastiques de se trouver aux comédies, bals, opéras, « assemblées de jeu et autres spectacles profanes. »

547. — III° *Utrum et quonam sensu ludi interdiciantur clericis?*

Textus juris *Clerici* statuit: « Clerici ad taxillos et aleas non « ludant, nec hujusmodi ludis intersint. »

Ludus triplex distinguitur: 1° mere aleatorius, qui a sorte

solum pendet; 2° mere industrialis, qui fere unice pendet a ludentis industria, ut ludus latruncolorum, vel pilæ (échecs, paume, billard); 3° mixtus, qui æque tum a sorte, tum ab industria pendet.

Ludi aleatorii, pacto adjuncto pecuniam lucrandi, sunt clericis interdicti. Lex lata fuit a prima antiquitate, nam reperitur in canonibus apostolicis 41, 42, et in Institutionibus Justiniani, quas citat collator Andegavensis: « Episcopus aut « presbyter aut diaconus qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel desinito vel deponitor. » 41 ex *Canon. apost.* Canon subsequens illud interdicit similiter clericis inferioribus.

Nota. 1° Lex, ob suam generalitatem, omnes clericos afficit, quamvis non ita graviter peccent qui in minoribus ordinibus constituti sunt.

2° Prohibitio est sub gravi, quod concludimus a gravitate poenarum quas canones comminantur, et a motivo legis, quod fuit periculum avaritiæ, dissidiæ et scandali. Dicitur tamen potest, cum S. Liguori, peccatum non fore mortale, si raro ludatur et moderate quoad tempus et pecuniam expositam; si privatim, absque scandalo, lib. III, n° 899. Ita Ferraris, v° *Clericus*, art. v, n° 4. Imo nec peccaret venialiter qui recreationis causa, sine pacto lucri, privatim cum amicis luderet, nisi leges locales severius prohibuerint.

Ludi mere industriales non sunt jure communi interdicti. Ludi mixti sunt liciti vel interdicti, ratione habita circumstantiarum. Seclusa lege diœcesana, clericus non peccat, modo 1° tempus moderatum transigat in ludis; 2° pecuniam non exponat nisi modicam, adeo ut non lucri intuitu sed recreationis id fiat; 3° tandem nihil agat alienum a decencia clericalis status. Ratio est quod jus commune statuerit solummodo contra aleatores; ludus autem mixtus dici non debet *alea*, cum partim ab industria pendeat.

Ludi chartarum multis decretis conciliorum provincialium,

et diœcesanis statutis prohibentur; sed nulla est lex generalis contra hanc speciem ludorum, quæ non adhuc adinventata fuerat quando prodierunt leges canonicæ quas citavimus. Applicanda sunt principia generalia; quapropter, nisi quid præfuerint statuta localia, ludus chartarum reputabitur interdictus, aut licitus, vel toleratus, prout erit aleatorius aut mixtus, sensu mox explicato.

§ 6. — *De negotiis sæcularibus quæ sunt clericis interdicta.*

348. — Est titulus in libro III Decretalium cujus ipsa sola inscriptio: *NE CLERICI, VEL MONACHI SE IMMISCEANT SÆCULARIBUS NEGOTIIS*, satis indicat principium generale quo clerici regi debeant. Ex illo autem principio ad consecutaria practica devenimus, exponendo quæ sint in specie negotia sæcularia clericis interdicta. Præcipuum locum obtinent professio advocati et medici, gestio rerum alienarum, et negotiatio.

349. — I° *Utrum et quatenus clericis interdicitur officium advocati, medici et chirurgi?*

I. Jus commune interdixit clericis officio advocati in curia sæculari. Statutum concilii Lateranensis (an. 1178) fert: « Clerici in subdiaconatu et supra, et in ordinibus quoque « minoribus si stipendiis Ecclesiæ sustententur, coram sæculari « giudice advocati in negotiis sæcularibus non præsumant fieri, « nisi propriam causam aut suæ Ecclesiæ fuerint prosecuti, aut « pro miserabilibus forte personis quæ proprias causas suas ad « ministrare non possunt. » Cap. *Clerici*, I, DE POSTULANDO. Legem Lateranensem hactenus vigere supponunt communiter canonistæ. Benedictus XIV testatur nullam dari licentiam monachis, nec canonicis regularibus, ad exercendum officium advocati, et clericos nihil præsumere debere ultra limites præfinitos in jure, nisi dispensationem obtinuerint. (*De Synodo*, lib. XIII, cap. x, n° 12.) Quando rescripta apostolica indulgent ut clerici

valeant causas agere in tribunalibus sæcularibus, apponitur conditio ut dispensatione utantur solummodo usque dum certos redditus ecclesiasticos, vel beneficium residentiale fuerint assecuti.

Quo efficacius clerici impedirentur gerere officium advocati, et ne alienis studiis avocarentur a sacra theologia, Honorius III (an. 1225) extendi voluerat ad omnes archidiaconos, decanos, præpositos, necnon ad presbyteros, interdictionem monachis factam leges civiles audiendi in scholis publicis. Cap. *Super specula*, 10, NE CLERICI... Legem in desuetudinem venisse arbitramur. Cæterum perutile est quibusdam clericis si privatim leges civiles discant; tum quia in multis causis tam arcta connexio intercedit inter jus civile et jus canonicum, ut qui apprime illud nosse cupit, alterius notionem sibi comparare debeat; tum quia sunt nonnulli casus in quibus clericis licitum est agere in tribunalibus, in sui suorumve parentum, vel Ecclesiæ defensionem, juxta canonem *Clerici* mox citatum; tum etiam, ut necessitate emergente, opportunum consilium fidelibus ad se confugientibus dare possint in negotiis quæ ad ductum conscientiæ referunt.

350. — II. Interdictum præterea fuit monachis et clericis exercitium medicinæ et chirurgiæ, de quo concilium Lateranense, sub Innocentio II habitum an. 1159 statuit : « Monachi et regulares canonici, neglecta cura animarum, ordinis sui propositum non attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum se faciunt corporum curatores; cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuntius, illa de quibus erubescit honestas, non debet religio pertractare. Ut ergo ordo monasticus et canonicus Deo placens, in sancto proposito inviolabiliter conservetur, ne hoc ullatenus præsumatur, apostolica auctoritate interdicimus ¹. »

¹ Labbe, *Collect. conc.*, tom. X, col. 1004.

Statutum ad clericos sæculares extensum fuisse vi consuetudinis testantur canonistæ ¹; quod et maxime consonum est principio generali ne clerici se immisceant sæcularibus negotiis, et aliunde sequitur ex prohibitione clericis factæ, non secus ac religiosis, adeundi scholæ publicas ad discendum scientiam medicinalem. Indultum proinde requiritur ut clericus artem medici exerceat.

Quando conceditur indultum, tres apponi solent conditiones : 1^a ut id fiat ob penuriam medicorum; 2^a ut nihil a pauperibus, etiam sponte offerentibus, accipiatur; 3^a ut caveatur ab actibus chirurgicis qui irregularitatem inducunt, nempe amputatione membrorum, etc...

Hæc locum non habent in nostris regionibus, ubi non deficiunt medici; et, si casus necessitatis obveniat, lex generalis non urget, quemadmodum nec clerico interdicitur uti arte medica in gratiam suorum familiarium ².

¹ Bened. XIV, loc. cit., n^o 5; — Reiffenstuel, in tit. v, lib. III, n^o 16; — Schmalzgrueber, ibid., n^o 46; — Ferraris, v^o *Clericus*, art. III, n^o 48.

² Quædam exscribere ex diario *Journal des fabriques* nobis opportunum visum est circa dispositiones legum civilium :

1^o Nul ne peut embrasser la profession de médecin, de chirurgien ou d'officier de santé sans être examiné et reçu selon les formes prescrites par les lois.

2^o Tout individu qui, sans avoir reçu de diplôme, exerce la médecine ou la chirurgie, sera poursuivi et condamné à une amende pécuniaire par les tribunaux correctionnels. L'amende peut être portée jusqu'à mille francs pour ceux qui prendraient le titre et exerceraient les fonctions de docteur; cinq cents francs pour ceux qui se qualifieraient d'officiers de santé et verraient des malades en cette qualité. Ceux qui exercent la médecine sans prendre aucun titre légal ne peuvent être punis que d'une amende de simple police. Pour constituer le délit d'exercice illégal de chirurgie, il n'est pas nécessaire qu'il y ait exercice habituel : une seule opération chirurgicale suffit.

3^o Tout débit au poids médicinal de drogues, de préparations médicamenteuses, est sévèrement interdit (poids médicinal, c.-à-d. au poids et aux doses auxquels les remèdes doivent être employés pour les malades). Est également interdite à ceux qui ne sont pas reçus pharmaciens la vente des remèdes magistraux, c.-à-d. composés sur-le-champ, par opposition aux remèdes officinaux qui se trouvent tout composés dans les pharmacies.

551. — *Utrum et quatenus gestio rerum temporalium aliorum interdicta sit clericis?*

Eugenius Papa rescripsit Episcopo Lucanensi : « Sacerdotibus et clericis tuis denunties publice, ne laicorum ministri fiant, nec in rebus eorum procuratores existant. » Et Alexander III in concilio Lateranensi : « Nec procuraciones villarum, aut jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus principibus et sæcularibus viris, ut justitarius illorum fiat, clericorum quisquam exercere præsumat. Si quis autem adversus hæc venire tentaverit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis : *Nemo militans Deo implicat se negotiis*, sæculariter agit, ab ecclesiastico fiat ministerio alienus ; pro eo quod, officio clericali neglecto, fluctibus sæculi, ut potestatibus placeat, se immergit. » Cap. *Sacerdotibus*, 2; *Sed nec*, 4, NE CLERICI... Insuper insertum est in libro Decretalium statutum concilii Carthaginensis quo a sacris ordinibus removentur procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum, qui onus non deposuerint, nec ratiocinia reddiderint. Cap. *Magnus*, DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA... lib I Decret.

Quod tamen ad majora officia in legationibus et publico regimine spectat, Principes catholici sæpissime usi sunt ministerio clericorum quos ad hæc publica negotia idoneos reputabant, nec existimaverunt quidquam in eo committere contra sanctos canones et mentem Ecclesiæ. Nec etiam contrarium disciplinæ canonicæ arbitramur si clerici comitiis municipiorum aut provinciæ interfuerint, modo non assumant gestionem rerum temporalium.

Un arrêt de la cour de Bordeaux, 1851, condamna une religieuse hospitalière pour avoir vendu au poids médicinal des drogues telles que du sirop de violette, etc.

⁴ Les ecclésiastiques, comme toutes autres personnes, peuvent aider de leurs conseils les malades qu'ils visitent, toutes les fois qu'il ne s'agira d'aucun accident qui puisse intéresser la santé publique, et pourvu qu'ils ne se permettent ni de signer des recettes ni de rédiger des consultations, et que leurs visites soient absolument gratuites. (*Journal des fabriques*, tom. VIII, pag. 324-328, 342.)

lium, nec cæteroquin desint officiis propriis sui status. Ratio temporum quandoque suadebit abstinere a curis publicis, et primorum pastorum erit regulas quas expedire judicaverint præscribere ; extra vero casus particulares, et seclusa speciali prohibitione, nihil a parte canonum obstare nobis videtur quominus viri ecclesiastici sedem habeant in comitiis politicis, ubi sua prudentia atque consiliis possunt plurimum ad bonum Ecclesiæ ac populi conferre.

552. — III^o *Quæ sit negotiatio clericis interdicta* ?

Negotiatio generatim dicitur omnis operatio qua quis intuitu lucri se intermedium constituit inter cives, in ordine ad commutationem mercium, operarum, pecuniarum², etc.

Ex variis modis quibus fit negotiatio tres præcipuos indicare sufficiat ad quos alii facile reducantur. Nimirum : vel merces emuntur ut deinceps vendantur carius, sub eadem forma, quod gallice vocatur *trafic, vente en gros ou en détail* ; vel emuntur ut, mutata forma in aliam per fabricationem, vendantur cum lucro ; vel fit cambium, aut alia operatio cum pecuniis, seu quævis permutatio jurium incorporeorum, ad lucrandum. His positis, quid de singulis negotiationibus relative ad clericos jus canonicum statuerit, dicendum est.

555. — I. Negotiatio primæ speciei clericis interdicta est, nisi urgeat gravis necessitas.

Alexander III statuit : « Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus ne clerici vel monachi causa lucri negotientur. » Cap. *Secundum*, 6, NE CLERICI... Similia leguntur in pluribus decretis

¹ Distinctio LXXXVIII ; tit. I, lib. V, Decret. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM ; — Constitutio Clementis XIII *Cum primum*, et Benedicti XIV *Apostolicæ servitutis* ; — *Theologia moralis* P. Antoine, ed. Avenionensi, tom. IV. *Dissert.* editoris.

² Definitur a jurisperitis : « L'ensemble des négociations qui ont pour objet de faciliter l'échange des produits de la nature ou de l'industrie, à l'effet d'en tirer quelque profit. » (Pardessus, *Cours de droit commercial*, tom. I, n^o 4.)

conciliorum et constitutionibus pontificiis, quæ afferre necessarium non est in re de qua omnes consentiunt. Ratio hujus interdictionis fuit necessitas avertendi clericos a sollicitudinibus rerum temporalium, quæ cum officiis sui status minime conciliantur; simul et præcavendi ne inquinentur vitiis, immoderata scilicet lucrandi cupiditate, avaritia et fraudibus, quibus negotiatio exponit.

Nota 1° Prohibitio est sub gravi; quod concludimus ex cap. *Secundum*, in quo Alexander III comminatur pœnam excommunicationis majoris clericis negotiatoribus. Dicunt tamen communiter canonistæ non peccare graviter clericum qui una aut altera vice negotiatur, citra scandalum, quia jura statuerunt contra clericos negotiatores; actus autem pauci non sufficiunt, ad sensum canonum, ut quis reputetur negotiationem exercere.

2° Excepimus a generali prohibitione casum gravis necessitatis, ut si clericus negotietur ad suam, suorumve parentum sustentationem, sed in hoc casu recurrere debet ad artificium, seu ad laborem manuum potius quam ad mercaturam. Clemens XIII præscripsit ut, necessitate urgente, clericus adeat Episcopum a quo dispensationem poterit obtinere, modo 1° nullum aliud medium suppetat levandi indigentiam; 2° suscipiat genus commercii quod minus dedecet statum clericalem; 3° facultas negotiandi detur ad tempus, donec causa cessaverit.

3° Supposuimus in nostra assertione clericum negotiari *causa lucræ*. Si quis ad fidelium sui oppidi utilitatem, objecta quædam minoris momenti, puta: cruces, numismata, coronas precatorias, libros, emerit ut eodem fere pretio revendat, non argui debet commercii vetiti. Magis tamen expedit hæc viro laico committi; quia satis periculosum est ne, sub velo utilitatis fidelium procurandæ, latitet cupido lucrum quoddam obtinendi, neve clericus in suspicionem veniat.

Toleranda igitur non videtur agendi ratio clerici qui verum negotium exercet, sub prætextu quod lucra inde reportata non

intendat sibi retinere ad augendam rem familiarem, sed impendere in favorem pauperum aut Ecclesiæ; nisi id faciat de assensu legitimi superioris qui potest legem moderari, et providere ne irrepant abusus. Clericus ille vere negotiatur; percipit enim a suo commercio lucrum, de quo pro arbitrio disponere valet. Hæc sibi acquirit, et illæso jure cujusquam retinere in suum usum potest; esto quod in animo habeat non ditescere, sed pauperibus subvenire, ecclesiam suam instaurare, aliudve opus pium prosequatur. Insuper sunt alia motiva legis: præter periculum cupiditatis, Ecclesia voluit clericos avocare a sollicitudinibus rerum sæcularium; porro qui negotiatur, licet in gratiam pauperum seu ad alium finem pietatis, implicatur sollicitudinibus, et multis periculis in detrimentum sui ordinis se exponit. Tandem voluntas lucra non sibi retinendi est quid occultum de quo non constat in foro Ecclesiæ, et sub cujus obtentu non semel latet cupiditas; ergo interveniat necesse est auctoritas superioris qui super lege dispenset, ac simul media opportuna præscribat ad removenda pericula negotiationis.

354. — II. Negotiatio secundæ speciei est aliquando licita, aliquando autem illicita, ratione diversa modi quo exercetur. Scilicet:

1° Non interdicitur clericis negotiatio cujus lucrum ab illorum labore et personali industria præcipue procedit: v. g., si ex marmore, vel lana, statuas aut tabellam arte sua conficiant; si hortulum locent quem suis manibus excolant ut fructus vendant... Id non reputatur in communi existimatione negotiatio quæ a canonibus vetita est. Confer textum S. Hieronymi, *Nunquam, de Consecratione*, dist. v, cap. xxxiii.

2° Non interdicitur clericis vendere res quæ sunt fructus sui fundi; titulo patrimoniali, aut beneficii illum teneant, nihil refert. Ita omnes. Hinc licet clerico excolere agros sui patrimonii, fructus vendere, animalia emere saginanda ex pascuis sui fundi, vinum ex suis uvibus, oleum ex suis olivis confici ac vendi curare, et alia his similia. Qui suum patrimo-

nium excolit atque fructus vendit, non censetur negotiator.

3° Interdicitur negotiatio qua res emptæ, aut comparatæ non ex proprio fundo, immutantur labore mercenarii conductitii, ut in alia forma vendantur lucri causa. Probatur 1° *auctoritate doctorum* qui, etsi fateantur hujusmodi negotiationem non eam esse quam canones nominatim prohibuerunt, consentiunt nihilominus illam includi in generali interdictione. « Negotiatio, » ait Pirhing, etiam improprie dicta, quando aliquid emitur ut « mutatum postea vendatur, prohibita censi debet clericis et « religiosis, tanquam minus decens eorum statui. Veluti si « clericus uvas emat ut vinum ex eis per famulos ad id conduc- « tos exprimat et postea vendat... Tales enim negotiationes « proxime accedunt ad negotiationes proprie dictas seu merca- « turas, ideoque per epikeiam quamdam censendæ sunt etiam « prohibitæ. » (In tit. NE CLERICI, n° 4.) Eodem prorsus modo alii plerique ratiocinantur¹. Probatur 2° *ex sacris canonibus*. Attendere potissimum debemus ad voluntatem legislatoris, juxta regulam juris quæ dicit *in legem peccare, qui verba legis complexus contra legis nititur voluntatem* (n° 58): atqui voluntas legislatoris est ut prohibitio secundæ speciei negotiationis censeatur includi in lege generali; siquidem juxta communem existimationem est verum commercium, et clericos implicat iisdem sollicitudinibus, iisdemque periculis exponit ac venditio rerum immutarum. Sacri canones olim clericis indulserunt uti sua arte ad sibi comparandum necessaria vitæ; at negotiatio de qua in præsentem agimus nihil commune habet cum *artificio* quo clerici opificio manuum suarum lucrum moderatum ad sui sustentationem obtinebant.

Hinc concludas illicitum esse clericis et regularibus artem aromaticam exercere ut exteris vendant sive medicamenta composita, sive liquores, aliave id genus; quod etiam de arte libraria dicendum; siquidem hæc sunt totidem species com-

¹ Cf. Schmalzgrueber, n° 18; — Editor Theologiæ moralis P. Antoine, 20, 21.

mercii sacris canonibus vetiti. SS. Pontifices haud semel prohibuerunt ne religiosi quorumcumque ordinum et congregationum in urbe Roma ejusque districtu degentes, ullo modo sæcularibus, aut aliis religiosis et ecclesiasticis, pharmaca, seu medicamenta venderent, ut constat ex brevi Benedicti XIV *Essendo Noi* 14 nov. 1740. Quod autem regularibus in Urbe degentibus constitutum fuerat, id sacra Congregatio ad omnes alios, ubivis locorum morentur, extendendum censuit, ob paritatem rationum. Si proinde sint regulares aut clerici, qui causa lucri, etiam in gratiam suæ communitalis, vel pauperum, aut alicujus Ecclesiæ, id sibi permittant, præsumendum est illos dispensationem super lege communi obtinuisse; alias rei illicitæ operas darent.

355. — Negotiatio tertiæ speciei, seu quæ fit vel per cambium, vel per permutationes jurium incorporeorum, est clericis interdicta.

Quod ad cambium proprie dictum spectat, Clemens XIII ita definiuit in Const. *Cum primum*: « Declaramus ac definimus « cambium activum natura sua esse actum veræ negotiationis, « ideoque omnibus ecclesiasticis vetitum censi debere, tam « proprio nomine quam per interpositam personam, illud con- « trahere. »

Lex omne cambium attingit: cambium *manuale* quo scilicet permutatur, lucri causa, pecunia cum alia pecunia præsentem, aurum, v. g. cum argento, moneta unius regionis cum moneta alterius: et cambium *locale* quo pecunia præsentem permutatur cum pecunia in alio loco recipienda, aut vicissim. Qui cambium manuale exercent dicuntur Gallice *changeurs*; qui locale, *banquiers*; utriusque sunt negotiatores.

De diversis operationibus quæ fiunt in commercio ad permutationem et venditionem jurium incorporeorum, censuum, actionum et obligationum in societatibus commercialibus, idem pronuntiandum est ac de cambio. Clerici possunt, non secus ac laici, acquirere census, credita et *obligationes* societatum;

possunt eodem jure hæc vendere, seu permutare, cum sibi opportunum fuerit, quin censeantur commercium agere, sicut possunt emere et vendere bona alia mobilia. Si vero hæc in eum finem emant ut revendant majori pretio, ut fit in commercio chirographorum, et in negotiatione censuum, transgrediuntur leges canonicas; id enim in communi existimatione reputatur commercium: « L'achat des rentes sur l'État ou autres effets « publics, lorsqu'il a été fait en vue de spéculer par la revente, « est rangé parmi les actes de commerce, *ait jurisperitus* « *magnæ auctoritatis*. Telle est la jurisprudence de la Cour de « cassation. » (Pardessus, *Cours de droit commercial*, tom. I, n° 10.)

356. — IV^o *Utrum liceat clericis negotiari per interpositam personam?*

Constitutiones Clementis XIII et Benedicti XIV, omne dubium sustulerunt, definiendo « clericos vane et temerario putare quod « effugiant peccatum coram Deo, et violationem canonum, dum « per interpositam personam negotiantur. »

Non licet proinde clericis negotiari per alium, etiamsi laicus interpositus suo proprio nomine operetur, si reipsa sit simplex mandatarius clerici; esset enim negotiatio palliata.

Nec etiam licet societatem commercialem cum laicis inire. Si quis autem pecuniam apud mercatorem collocet, fructum fixum vel indeterminatum pro vario exitu commercii recepturus, non reputatur negotiari, modo tamen absteineat ab omni gestione rerum in commercio positarum.

Dubium est circa emptionem *actionum* societatum commercialium, v. g. viarum ferratarum. Actiones non sunt confundendæ cum *obligationibus*, de quibus supra. « L'action, *ait* « Pardessus, est une portion indivise dans la propriété de tout « ce qui compose le fonds social... Une action n'est pas la même « chose qu'une créance contre la Société. » (*Droit commercial* t. IV, p. 92, 93. Qui proinde *actiones* emit, fit coproprietarius fundi socialis, particeps lucri et damni societatis, et

si res stricto jure consideretur, dici posset illum negotiari per interpositas personas quibus gestio societatis committitur. In communi tamen opinione, et juxta mores hodiernos, aliter judicatur: actionarii non reputantur negotiatores. Quamobrem probabile est clericos non peccare contra legem canonicam, qui actiones emunt, aut retinent, licet censeamus multum satius fore abstinere.

Qui jure hæreditario obtinent institutum commerciale, tenentur, quamprimum moraliter possunt, illud alteri tradere et interea per mandatarium gerere res commercii, et licentiam ad hoc postulare a S. Congregatione si intra Italiam morentur; ab Ordinario loci si versentur extra Italiam, quemadmodum præscripsit Benedictus XIV in Const. *Apostolicæ servitutis*, § 2.

ARTICULUS IV. — DE JURIBUS, DE PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS CLERICORUM¹.

357. — I^o *Quæ sint jura clericorum in ordine ecclesiastico?*

1^o Clerici jus habent gestandi vestem sui ordinis propriam, quo jure privari non possunt nisi per sententiam Episcopi in pœnam delicti.

2^o Idonei sunt assequendis officiis spiritualibus et beneficiis, et exercitio jurisdictionis sibi demandatæ, quod laicis non conceditur.

3^o Partem sublimiorem tenent in Ecclesia dum sacris officiis publicis, processionibus, etc., assistunt, et laicos, cujuscumque dignitatis prærogativa donatos, præcedunt. Inter ipsos autem servatur regula præcedentiæ jure communi, aut locorum consuetudinibus, statuta. Regula generalis est ut præcedentia de-

¹ Tit. DE FORO COMPETENTI, lib. II Decret.; — DE IMMUNITATE ECCLESiarUM, lib. III. — Cf. Suarez, *Defensio fidei*, lib. IV, de *Immunitatibus Eccl.*; — Bellarminum, de *Clericis*, cap. XXVIII-XXX; — Muzzarelli, de *Immunités*; — Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*. Introduction.